

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2170

**Auteur(s) :** Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Barbery, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1261, août

**Lieu d'émission :** Vernon

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

« Cest la lettre de Jehan de Falleise(analyse du milieu du XIVe s.) ». Louis IX vidime la charte de Jean de Falaise, fils de Moreau le Juif, par laquelle il a vendu à l'abbaye de Barbery, avec l'autorisation du roi de France, de tout ce qu'il possédait à Fontenay-le-Marmion.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Saige Gustave, *Cartulaire de la seigneurie de Fontenay le Marmion*, Monaco, Imprimerie de Monaco, 1895, n° XXXVIII, p. 54-56.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia Francorum Rex, notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos litteras Johannis de Falesya vidimus in he verba :

Noverint universi quod ego Johannes de Falesya vendidi et concessi abbati et monachis Beate Marie de Barbereio omnia que habebam apud Fontenetum le Marmion ex concessione et voluntate Ludovici, domini mei, Regis Francorum, que Morellus Judeus quondam, pater meus, in predicta villa antea adquisierat, videlicet quadraginta solidos ad feriam Prati pro servicio de cheval, ad Natale Domini quatuor capones, octo turonenses, ad Pascha, quadraginta ova octo turonenses, que mihi faciebant Henricus Guisbert et partecipes sui de una vavassoria quam tenebant de me ; item quadraginta solidos, ad feriam Prati, pro servicio de cheval, ad Natale Domini quatuor capones, octo turonenses, ad Pascha quadraginta ova, octo turonenses que mihi faciebant Johannes le Vavasour et partecipes sui, de una vavassoria quam tenebant de me ; item viginti solidos, ad feriam Prati, pro dimidio servicio de cheval, ad Natale Domini duos capones, quatuor turonenses, ad Pascha viginti ova, quatuor turonenses que mihi faciebant heredes Herbert de Valle de dimidia vavassoria quam tenebant de me ; item septem sextarios avene et unum quarterium in mense septembris, ad Natale Domini duos gallinas, quatuor turonenses, ad Pascha, viginti ova, quatuor turonenses que michi faciebant Guillelmus le Paumier de tenemento quod tenebat de me ; item sex sextarios et tres quartarios avene in mense septembris, ad Natale Domini duos gallinas quatuor turonenses, ad Pascha viginti ova, quatuor turonenses que mihi faciebat Radulfus Polain de tenemento quod tenebat de me ; item tres sextarios et unam minam avene et tres sextarios et unam minam ordeï in mense septembris, ad Natale Domini quatuor gallinas, sex turonenses, ad Pascha quadraginta ova, quatuor turonenses que mihi faciebant heredes Billeheut de tenemento quod tenebant de me ; item unum sextarium ordeï in mense septembris quod mihi faciebat Henricus Guisbert pro se super toto tenemento quod tenebat de me ; item duos solidos turonensium in mense septembris, ad Natale Domini quinque capones, ad Pascha decem ova que mihi faciebat Gabriel frater Henrici Guisbert de tenemento quod tenebat

de me. Hec omnia supradicta percipient predicti abbas et monachi de cetero ad predictos terminos de predictis hominibus et eorum heredibus et possidebunt in puram et perpetuam elemosinam, bene et pacifice, cum omni jure et dominio que ibi ego et heredes mei habebamus vel aliquo tempore habere poteramus, sine molestatione et sine reclamacione mei vel heredum meorum. Et hec omnia, sicut divisa sunt, ego et heredes mei debemus et tenemur predictis abbati et monachis garantizare et defendere et deliberare versus omnes gentes, vel alibi, si necesse fuerit, excambire ad valorem [omninode competentem ad usus et consuetudines Normannie.] Pro hac autem venditione et concessione predicti abbas et monachi dederunt michi de karitate domus sue ducentas libras turonensium. Et ut hoc ratum et inconcussum permaneat in futurum, ego dictus Johannes tradidi hanc presentem cartam dictis abbati et monachis sigilli mei testimonio roboratum. — Actum anno Domini M° CC° sexagesimo primo, mense julii.

Nos autem venditionem et concessionem predictas, ad petitionem supradicti Johannis, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, ac res supradictas venditas eisdem abbati et monachis in perpetuum in manu mortua tenendas concedimus, retenta nobis in eisdem omnimoda justicia et salvis redditibus et redibenciis aliis nostris, ac salvo eciam jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. — Actum apud Vernonem, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo primo, mense agosto.